

De ludis scaenicis Vicetiae celebratis [Canal]

Canal, Maria Pia (2023). De ludis scaenicis Vicetiae celebratis anno MMXXII a Kalendis ad a.d. Idus Augustas. Ars docendi, 14, marzo 2023.

Maria Pia Canal (Bolzano) writes below about a very special theatre experience in Vicenza (August 2022).

Maria Pia Canal (Bozen) schreibt im Folgenden über ein ganz besonderes Theatererlebnis in Vicenza (August 2022).

Il grande successo ottenuto dal recente festival internazionale del teatro latino è certamente dovuto ai professori Giuseppe Marcellino e Paolo Pezzuolo della Schola Humanistica di Padova che, *auspiciis a musa Thalia sumptis*, hanno convocato a Vicenza studiosi e amanti della lingua latina, venuti numerosi da Germania, Belgio, Polonia, Spagna, Olanda, Francia, Russia e Lituania. Evento davvero internazionale e ottimamente organizzato.

Le giornate erano divise in due parti: al mattino si svolgeva il *Symposium* (una serie di scholae su argomenti di cultura latina medievale e rinascimentale), ospitato nel chiostro del convento di San Lorenzo che, con la sua ombra, non solo proteggeva i partecipanti dalla canicola estiva, ma rendeva più piacevole la lettura di opere amene come la *Chrysis* di Enea Silvio Piccolomini o tragiche come *Ecerinis* di Albertino Mussati o le dissertazioni sul linguaggio osceno nel mondo antico tenute da Martinus Loch, mentre alla sera si tenevano i *Ludi scaenici* nel teatro di San Marco.

Il primo di questi *Ludi* è stato recitato dagli attori della Sodalitas L.U.P.A. (Latinitati Vivae Provehendae Associatio). Questo è il *compendium*: «Anno MCCXCVI Otto, dux Brandenburgiae, Przemislaum II regem Poloniae comprehendere vult, ut eum regno se abdicare cogat. Invocatur umbra Rixae, priscae reginae Poloniae, ut exitum rei praesagiat.»

Il secondo spettacolo è stata la *Medea* rappresentata dalla compagnia chiamata Katolophyromai, opera degna di essere annoverata al genere tragico sia per la gravità dell'argomento che per la solennità del linguaggio.

La sera successiva ha suscitato uno straordinario successo la commedia *Stultifera navis*, notevole sia per il grande numero degli attori (24, di cui 18 fra gli 8 e i 16 anni), sia per l'apparato scenico. Il protagonista Joannes «iuvenes candidus, certisque rationibus perfusus qui, sponsa relictas, pietatis ergo in monasterium primum, tum in coenobium se confert, sed in utroque peccata capitalia regnare animadvertit; dein daemonibus exagitatus ac varia expertus pericula Maria Virgine hortante Abbatiam Thelema condit, in qua vivet quicumque velit et faciet quodcumque libebit».

La serata si chiude con la *Mostellariola* ispirata alla *Mostellaria* di Plauto, in cui appare una vera *larva* che infesta una casa di Vicenza. La commedia non viene rappresentata, ma recitata da quattro attori accompagnati dal suono del clavicembalo.

La serie teatrale si conclude con la tragedia *Vindices* messa in scena dalla Sodalitas discipulorum Taurinensium e una folla vivacissima di attori presenta lo spettacolo *Fata Romae te vocant*.

La corona aurea è stata assegnata ai giovani attori della *Navis stultifera*.

Il fatto più notevole di questo convegno è stato l'uso della lingua latina non solo nelle scholae e nei Ludi scaenici, ma anche nel corso delle visite ai monumenti della città, nelle strade e nelle piazze, tanto che nel bel mezzo del convegno sul quotidiano di Vicenza è apparso un articolo con il titolo "Vicenza si risveglia romana. In cento parlano solo latino".

Non è questa la sede per discutere sulla validità del latino parlato, ma forse occorre riflettere su come in molte scuole, sia in Italia che in Europa, dopo anni di studio della lingua latina, la conoscenza della lingua sia molto limitata anche perché prevale spesso una specie di ossessione grammaticale (che, come rileva Pascoli, finisce con il soffocare i contenuti e «si stende come un'ombra sui fiori immortali del pensiero latino»). I ragazzini, definiti dal giornale "marziani", sorprendevo tutti per la capacità non solo di recitare in latino, ma di rispondere alle domande sulla vita comune che venivano loro rivolte. In questo senso il convegno ha suscitato la curiosità e l'entusiasmo anche in chi ritiene generalmente il latino una lingua strana, inutile e morta. «Ma che lingua parlano questi?» si domandavano ogni tanto i passanti nel sentire ad esempio il professor Marcellino che descriveva in latino il Teatro Olimpico e la sua storia.

ACTA CONVENTUS VICETINI [Rossi]

Rossi, Ionnes Carolus (2023). Ludi scaenici omnium gentium Vicetiae celebrati anno MMXXII a Kalendis ad a.d. VIII Idus Augustas. Ars docendi, 14, marzo 2023.

(già pubblicato su: MELISSA N°232 Idibus Februariis MMXXIII

Folia perenni Latinitati dicata auspiciis Domus Erasmiana et Academiae Latinitati Fovendae sexies in anno edita

Editor responsalis Gaius Licoppe

redactrix Francisca Deraedt)

Mandatum est mihi munus de Ludis scaenicis, qui Vicetiae ineunte mense sextili anno saeculi altero et vicesimo sunt celebrati, referendi, ut etiam Melissa lectoribus quae ibi gesta sunt innotescerent. Qui poteram laborem haud levem suscipere? Qui poteram recusare? Percommode autem accidit ut mihi quasi memoriae adjutrix affuerit Aloisia Bagiotti, quae in Mediolanensi Lyceo a Leonardo nuncupato litteras tradit; qua est enim diligentia, quid quaque die fieret in pugillares rettulerat. Veniamus igitur ad rem: ut mos est meus, in commodum legentium utar chria, qua argumenta ordine explicantur.

Qui ludos ediderunt?

Josephus Marcellinus et Paulus Petiolus, Scholae Humanisticae auctores, tamquam renati aediles curules, auspiciis a Musa Thalia sumptis, Theatri Artisque Ludicrae Iuges Agones¹ indicentes, studiosissimos quosque linguae Latinae convocarunt, ut una non minus dulce quam industrie septiduanum² persequerentur otium.

Quid factum est?

Operae pretium esse duco ipsissima auctorum verba describere: “Thalia in duas partes dividitur, quarum altera *Symposium*, altera *Ludi* nominatur. *Symposium* appellamus scholarum seriem in qua de antiquitatibus Graecis et Romanis disputabitur, necnon de arte ludicra, de comoediis tragoediisque quae Media Aetate et Tempore Artium Renascentium Latine exaratae sunt. (...) *Ludos* appellamus agonem scaenicum in quo Corona Aurea petitur: haec autem eis dabitur, qui praestantissimam fabulam Latinam docuisse videbuntur”.

Itaque die audiebamus scholas, vespere ac noctu fabulas spectabamus eorum qui in certamen a scholarchis indictum descenderant. Neque vero nos per intervalla abstinebamus lusibus conviviiis comessionibus. Quale argumentum fabulis propositum sit fortasse quis vestrum rogabit: scito de *Daemonibus* fuisse petitoribus agendum.

Ubi

Vicetia, nobilissima urbs, magnificis Andreae Palladii operibus insignis, omnes nos excepit, qui fere centum eramus numero. Pernoctavimus plerique in deversorio modico sed mundo, extra moenia sito, ubi primo mane haud leve jentaculum ministrabatur, qui mos invaluit etiam apud Italos; non modo enim lac potioni arabicae admixtum cum crustulis mellitis praesto nobis erat,

¹Callide per acrostichidem Thalia ipsa subauditur.

²Monuit me Josephus Marcellinus alia exstare vocabula et ea usitata (hebdomadalis, hebdomaticus, hebdomadarius ac septimanarius), sed novum inducere placuit ad normam priscam confictum.

sed etiam paniculi, ova sive elixa, sive subacta atque in sartagine fricta, pomorum suci, pernae suillae segmina, butyrus, caseus, oxygala, flocculi caereales, nutella³, decocta pomaria.

Itaque bene saginati, addita potione arabica, quo alacrius vires in studiis exercerentur, in Sancti Laurenti aedem cotidie confluebamus, non longo spatio a deversorio distantem. Juxta templum patet atrium quadriporticum, columellis insigne ac viridario ornatum, cujus umbra a flammantis caniculae aestu protegebamur: tunc enim tam magni erant calores – nec cives meminerant majores – ut indices fere duodequadragesimum gradum signarent. Sed maximum fuit refrigerium non tam opaca porticus umbra vel ventus leniter flans, quam Latinitas ipsa, dulce animi mentisque levamen!

Oportet autem pauca de urbe dicamus, sed non meis utar verbis: laudem enim afferam Stephani Haniritteri cosmographi⁴, quam forte in retibus mundanis inveni. Quae enim in illius libro quadringentos abhinc annos scripta legimus, eadem Vicetiae nostrae quoque aetatis referri queunt, quae non multo a prisca urbe est demutata.

Prius vero memorabo quid sub lemmate *Vicenza* in lexico suo scripserit Carolus Egger⁵: “Est urbs Venetiae inter Veronam et Patavium; cfr, Justin. 20, 5; Tac. *Hist.* 3, 8. Scribendi ratio *Vincentia, ae*, est sequioris aetatis (Tab. Peut.)”. Sed veniamus ad Cosmographum.

“VINCENTIA, VICENTIA, Venetorum in Marchia Tarvisina oppidum, patria Rhemnii Palaemonis grammatici⁶, a Gallis condidum teste

³Cupedium in toto orbe terrarum diffusum, latinitate macharonica donatum est a Richardo Cassini in libro cui index *Nutella nutellae, Liber magno*, Comix, 1995.

⁴M. Stephani Haniritteri Grunbergensis *Cosmographia Prosometrica*, Marpurgi, MDCXIX.

⁵*Lexicon nominum locorum*, Officina Libraria Vaticana, Romae, MCMLXXVII.

⁶Quintus Rhemnius Fannius Palaemon aetate Tiberii et Claudii floruit, scripsit de grammatica, Quintiliani ac Plinii senioris praeceptor teste Suetonio fuisse perhibetur.

Justino⁷ et Trogo⁸, duobus annibus navigalibus Bachilione et Retrone⁹ divisum, dictum aut ab incolarum victoria, aut a centum vicis, qui prius hic siti fuere, quorum habitatores hanc urbem constituerunt. Situs urbis est fertilissimus ac vini frugumque copia abundans: in primis vero mororum arborum, quarum fronde bombyces aluntur¹⁰. Curiam habet in foro magnificentissimam, cum tecto rotundo, plumbo obducto, ad imitationem Curiae Patavinae¹¹. Est in hac urbe locus dictus Academia¹², in quo nobiles adolescentes solent exercere studia et exercitia physica, astrologica, et ludos scenicos; forma ejus est ad imitationem amphitheatri¹³, supra se positus sedilibus; in fornice est quoddam expansum *velum*¹⁴ caelum cum stellis repraesentans." (...)

"Olim hæc urbs dicta fuit Vicetia, unde Julius Caesar Scaligerus¹⁵:

(...) *Pulchra racemiferos domitat Vicetia colles*

Laetaque spicilegi jugera findit agri.

(...) Nicolaus Revsnerius¹⁶:

⁷Marcus Junianus Justinus, rerum scriptor, II p. Chr. n. saeculo fuisse putatur; in Trogi Epitome (XX, 5) scriptum legimus de Gallorum adventu: "... cum in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt et Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincentiam condiderunt."

⁸Gnaeus Pompejus Trogus, Narbonensis, sub Augusto floruit, cujus opera non sunt tradita; manet Epitome a Justino scripta.

⁹Etsi decursu saeculorum cursus saepe mutaverunt, adhuc Vicetiam interfluunt.

¹⁰Textilia serica seu bombycina diu per totam Europam Vicetini exportarunt, sed habiti etiam sunt eximii peristromatum seu tapetum artifices, quibus parietes aedium ditiorum exornabantur.

¹¹Quae curia, saeculo XV ad exemplum gothicum exstructa, ab Andraea Palladio centum fere post annos miris convestita porticibus, Renatae Artis specimen egregium merito existimatur. Vulgo nunc appellatur Basilica Palladiana, in honorem artificis.

¹²Academia Olimpica anno 1555 a nobilissimis quibusque civitatis viris condita, theatrum continet a Palladio delineatum, quo pulchrius reperias in tota Europa nullum.

¹³Revera forma est theatri hemielliptica, non in circulum ducta.

¹⁴Desideratur vocabulum inter *expansum* et *caelum*; putavi esse restituendum *velum*, vel fortasse *telum*, quod propter omoeoteleutum intercidit. Incertum est utrum hoc opus referendum sit lacunari caveae an scaenae recessui, quum in utroque sit caelum in velo depictum.

¹⁵Julii Caesaris Scaligeri *Poematia ad illustrissimam Costantiam Rangoniam*, apud Godefridum et Marcellum Beringos, 1546.

*Frugiferos inter Vicentia perflua campos,
Eretheni hinc illinc Bacchylionis aquis (...). “*

Haec de antiquis urbis laudibus hactenus.

Qui sunt auxiliati

Cur tantum suis sibi humeris onus Josephus et Paulus susceperunt? Variarum adduci causae possunt, et eae omnes probabiles, ut est legere in praeconio ab ipsis jampridem vulgato, sed praecipuam hanc unam esse puto: quia insaniunt! Eadem namque laborant moria, quam acute arguteque praedicavit Erasmus! Quis enim auderet musam Latinam ad scaenam denuo provocare? Quis auderet re non verbis, factis non fabulis, opiniones eorum confutare, qui sermonem Romanorum cum imperio emortuum esse temere effutiunt? Quis auderet pecuniam colligere ingentiusculam in horum temporum penuria, quo ad feliciorum exitum deduceretur conventus? Quis denique talem coeptum ordinare regere perficere auderet? Quamquam insanientes Latini multo plures sunt quam quis opinetur: satis sit mente repetere in exemplum unum pro omnibus, Valahfridum Stroh inquam, qui Ludos Latinos saeculo superiore vergente bis edidit, flocci faciens rumores academicorum emunctae naris. At, inquires, aliquis eis est certe opitulatus! Etenimvero nonnulli pecuniae summulas donarunt, inter quos placet mentionem habere Academiae Latinitati Fovendae, Humanitatis Europae, Consociationis Cultui Classico excolendo, Scholae Latinae, Gai Licoppe Melissae conditoris, Claudii Griggio praeceptoris emeriti, sed sumptus varias ob causas multo reditum excesserunt, neque vero Potestates publicae, quae nummos in res inanes profundere saepenumero solent, intellexerunt quantum emolumenti esset et sibi et civitati redundaturum, si modo patrocinium Thaliae sollertius suscepissent, quamquam gratuito aditum ad splendorum aedes Clericorum concesserunt. Pergratum vero fecissent, si advenas centum, qui undique gentium venire Vicetiam non modo ex Italia, verum etiam e Germania, Belgica, Polonia, Hispania, Nederlandia, Gallia, Russia, Lituania publice salutassent. Tamen quum diariis tum et telehorasi fuse apud Venetos res

¹⁶Nicolai Revsneri Leorini Silesii *De Italia regione Europae nobilissima libri duo*, Argentinae, MDXVC.

divulgata est. Ecquid dicam? Hisce temporibus jacent litterae, jacet cultus civilis, jacet urbanitas ipsa, pulchrum utili vincitur, publicis commodis praevalent privata, rebus omnibus praeponderat Nummus, sed e parva scintilla magnum suscitari potest incendium.

Quomodo

Ita temperatae sunt res ut utile dulci admisceretur: modo enim sedebamus in umbra porticus, scholas audientes, modo per vias plateasque discurrebamus sive confabulantes, sive conspicua urbis monumenta intuentes, modo in cauponis hilariter cenabamus, modo spectabamus fabulas scaenicas eorum qui in certamen descenderant.

Quando

Ludi celebrati sunt, ut superius est relatam, a Kalendis ad a.d. VIII Idus, sed, ut Josephi Paulique industria memoriae proderetur, quod quaque die factum est singillatim significandum esse putavimus, ut inferius scriptum legetis.

Kalendis Augustis

Vespere hospites plerique in deversorium alii post alios conveniunt, sarcinas deponunt, vestes mutant.

Postridie, qui dies est Martis, Augusti mensis II

Mane in Aedes Clericorum confluimus, egregium Andreae Palladii opus, cujus splendor omnium oculos perstringit. Ibi Josephus Marcellinus, in aula maxima et ornatissima conventum auspicans, omnes salutatur gratiasque iis agit qui opem contulerunt. Tum Paulus Petiolus scholam de Comoediis quae ab Arte appellantur habet; tertius ego, ut omnium senissimus, ad pulpitum accedo, ut nomine Academiae Latinitati Fovendae et verbis Roberti Carfagni omnes qui adsunt salutem; quarta Maria Berica Garzia refert de docendi methodo Oerbergiana in Vicetiae lyceis adhibita ac nomine consociationis

Europa Latina nuncupatae ejusque praesidis Mauri Agosto verbis praesentes salutatur. Deinde Certaminis arbitri exhibentur Maria Aloisia Aguilar Hispana, quae praesidis munere fungetur, Maria Pia Canal Itala, Alexander Feye Belga, Maria Berica Garzia Itala, Antonius Haaker Francogallus, Stephanus Rizzardi Italus, quorum erit fabulas existimare praemiisque greges pro cujusque meritis donare. Tum Alexander Feye artem scaenicam ceteris praestare artibus asserit, quoniam ei omnes Musae simul consuluisse atque conspirasse videntur. Deinceps greges in certamen descensuri nominantur ac nonnulli scaenici comoediam quisque suam summatim exponunt.

En sex greges, qui digni habiti sunt ut in certamen venirent:

Katolophyromai¹⁷, qui grex *Medeam* aget; L.U.P.A.¹⁸, quae *Przemislaum II Poloniae regem* aget; Orchestra Symphonica Mediolaniensis¹⁹, quae dabit *Mostellariolam*; Hiberici Histriones²⁰ qui fabulam dabunt cui titulus *Fata Romana a te pendent*; Societas amicorum inimicorumque Titi²¹ quae *Vindices*; Thelemitae²² qui *Stultiferam Navem* dabunt.

Tum Caecilia Koch de Przemislao, Doriana Moenaert de Stultifera Navi, Joannes Carolus Rossi de Mostellariola, Stephanus Vittori de Medea paucis dixere.

Postremo Paulus Petiolus tragoediam de Baccho et Pentheo, quam vespere ipse et Stephanus Ryzardus extra certamine sunt acturi, explanat.

Relictis denique aedibus Clericorum, pransum imus ac post meridiem Divi Laurentii petimus.

¹⁷Fortasse quis rogabit unde tale nomen grex susceperit. Invenitur in papyro antiquissima, qua nonnulli versus Euripidis, e primo Orestis stasimo decerpti, cum notis musicis traditi sunt. Latine sonat "valde lamentamur".

¹⁸Per acrostitidem significatur sodalicium Germanicum *Latinitati Vivae Provehendae Associatio*.

¹⁹Sodalitium musicorum Mediolanense, quod litteris compendiariis M.O.S. indicari solet.

²⁰Greus hispanicus, cujus sedes Aesculeti -vulgo *el Escorial*- est constituta.

²¹Sodalitas discipulorum Taurinensium, qui per acrostitidem innotuit ut S.A.I.T.

²²Greus nomen sibi dedit Thelemitarum, quod vocabulum Eduardus Alexander Crowley, scriptor britannicus rerum arcanarum studiosus ineunte saeculo XX primus confinxit.

Hic aedituus templi historiam, tam praeclaris antiquitatum vestigiis insignis, narrat Italice, sed sufficit ei ut interpretes Josephus Marcellinus, ut etiam intellegant alienigenae Italice ignari. Tum autem in atrium quadriporticum templo continens nos conferimus, ubi primam scholam audimus a Maria Aloisia Aguilar habitam, muliere non minus docta quam affabili, dignaque civis sui Lodovici Vives aemula, quae sermonem Latinum quadam dulcedine vernacula aspergit, quamquam ei referri nullo potest pacto illud "Bibere est vivere" quod Hispanis per jocum obici solet; immo eleganter volubiliterque de epigrammatis Bobiensibus refert locosque ex Heautotimorumenno, Adelphoin, Hecyraque excerptos explanat.

Post illius scholam duos in greges dispertitos nos ad praecipua urbis aedificia lustranda mystagogi ducunt: Ecclesiam Cathedralem, Basilicam Palladianam, Clericorum Aedes aliaque visu digna admiramur. Post cenam hora praestituta in Theatro Marciano, trans Bachilionem fluvium, congressi, fabulam de Pentheo et Baccho spectamus, quasi promulsidem gustantes epularum scaenicarum, quas certaminis petitores sunt nobis diebus insequentibus apposituri. Papae, quid dixi promulsidem? Tam laute enim erat contexta fabula totque copiosa ferculis, ut mensa theatri exquisitissimis epulis instructa esse videretur! Nequis mihi fidem non faciat, brevi oportet immorer, nonnulla decerpens e pagella qua tragoedia laudatur: "Antiquitus (...) cognomen Penthei Baccho ipsi tribuebatur: id deinde cognomentum in justum nomen abivisse simulque Pentheum e deo daemonem, e daemone hominem esse factum, aerumnosum illum quidem deoque inimicum, cujus labores ad laudem et honorem numinis pertinerent. Similiter in hac fabula Bacchus et Pentheus (...) in unum confunduntur, eorumque voces mandantur duobus actoribus, qui personis ultra citroque commutatis alter alterius partes vicissim sustinent. Hic nodus in epilogo resolvitur, quum Bacchus - istud numen saevum et mite, lucidum simul et obscurum - immanem victoriam de hoste reportat".

Ex his paucis verbis conicere licet auctores remotam mythorum antiquitatem cum recentioribus philosophiae ac psychologiae studiis ingeniose acuteque conjunxisse, Euripidis figmenta cum placitis freudianis componentes.

Sed antequam ad diem insequentem transeamus, facere nequeo quin nominatim laudem omnes qui operam spectaculo dederunt: partes

scientissime egerunt Stephanus Ryzardus et Paulus Petiolus, qui quidem fabulam pereleganti donavit latinitate; personas horrificas confecit Stephanus Perocco a Meduna, artifex eximius; vestes suit Margarita Martotti; lumina et cantus Fridericus Marcon ordinavit, concinnavit; vocem Agavi extra scaenam praestitit Alicia Ronco.

A. d. III Nonas Augustas, qui dies est Mercurii, Augusti m. III

Mane ad Divi Laurentii in porticus umbra duas scholas de Ezelino de Romano²³ audimus, cujus nefariae crudelitatis fama usque ad nostram aetatem manavit. Prior dicit de tragoedia Albertini Mussati²⁴ *Ecerinis*²⁵ inscripta Maria Bèrica Garzia, Vicentina praeceprix, methodi Orbergianae fautrix, omnique litterarum suppellectile instructa, cujus doctrina par est urbanitati. Alter Paulus Petiolus, qui materia a Rolandino Patavino²⁶ sumpta, suadet ut vitam Ezelini callido progymnasmate retractemus: proposita enim imaguncularum serie, ut res depictas verbis illustremus, hortatur.

Post meridiem magnificas aedes a familiis Leoni et Montanari nuncupatas invisimus, in quibus sedes Vicetina consociationis est constituta, cui index *Gallerie d'Italia*,²⁷ tum monstratae sunt viae praecipuae, secundum quas nobilissima aedificia conspiciuntur, deinde Theatrum Olympicum.

Noctu in Theatro Marciano, coram arbitris delectis, qui imperatoria fere veste amicti mirificeque tutulati ad numeros organis succinentibus in cavea sollemniter incedunt, *Przemislaus* et *Medea* dantur.

²³Ezelinus seu Ecelinus III de Romano (1194–1259) Marchiae Tarvisinae dominus, Fridridrici II imperatoris vicarius, Terribilis appellatus.

²⁴Albertinus Mussatus (1261-1329), Patavinus, litteratissimus, poeta, rerum scriptor.

²⁵*Ecerinis* anno MCCCXV ad modum Senecanum composita, recitata pluries est, non acta.

²⁶Rolandinus Patavinus (1200 -1276), grammaticae et rethoricae magister, scripsit *Chronica in factis et circa facta Marchiae Trivixanae*.

²⁷Ad litteram Italiae Porticus Galilaeae, sunt Musaea sumptibus ac patrocinio Argentariae *Intesa San Paolo* nuncupatae, in quibus statis intervallis in publicum proponuntur opera artificiosa ab argentariis collecta.

Priorem fabulam de *Przemislao II Poloniae rege* fecere scaenici sodalitates LUPA appellatae, cui praeest Caecilia Koch. Qua de re agatur conicere licet e fabulae compendio: “Anno MCCXCVI Otto, dux Branderburgiae, Przemislaum II regem Poloniae comprehendere vult, ut eum regno se abdicare cogat. Invocatur umbra Rixae, priscae reginae Poloniae, ut exitum rei praesagiat. (...) Respondet: Vincetur, vincet sed eo”.

Altera fabula de *Medea*, quam dedit grex nomine tragico Katolophyromai appellatus, cui praeest Stephanus Vittori, ordini tragico est certo annumeranda, sive argumentum grave callideque contextum, sive genus dicendi grandiloquum, sive orationem versibus pereleganter adstrictam, sive etiam cantica quae actioni interseruntur, consideras.

A.d. II Nonas, qui dies est Jovis, Augusti m. IV

Sub porticu ad Divi Laurentii mane Josephus Marcellino Aeneae Silvii Piccolominei²⁸ *Chrysim*²⁹ explicat, Alexander Feye, Porphyrii³⁰ repetens opera, de daemonibus oraculisque apud Porphyrium et Neoplatonistas, multis allatis locis et Graece et Latine e Platone, Jamblico, Apuleio, Porphyrio ipso, Marsilio Ficino aliisque, scholam luculentissimam habet.

Post meridiem Martinus Loch, philologus Polonus non minus salsus quam doctus, de Veterum sermone obsceno agit atque exempla nonnulla e salacissima fabula de Jano sacerdote³¹ paedicone profert, quamquam turpissima quaeque verecundiae causa praeterit. Tum Paulus nobis suadet ut in gregulos dispertiti ac materia ex Ezelini vita sumpta, fabellam brevissimam

²⁸Aeneas Silvius Bartolomaeus Piccolomini (1405-1464), Senensis, vir litteratissimus, elegans rerum scriptor, temporum testis accuratissimus, anno 1458 evectus ad pontificatum nomen Pio II sibi elegit.

²⁹*Chrysis*, comoedia anno 1444 conscripta jambis adstricta oratione, a philologo Joanne Francisco Nuzzo acute dicta *salacius cuppedium Plautinum jure Tererntiano conditum* (*La Chrysis di Enea Silvio Piccolomini*, 2008, Siracusa)

³⁰Porphyrius Tirus (234-305) philosophus neoplatonicus, plures quam sexaginta libros scripsisse traditur, ex quibus *Contra Christianos*.

³¹*Janus Sacerdos*, cujus non innotuit scriptor, Papiae primum anno 1427 acta est.

ex tempore fingamus atque certatim recitemus. Placuit propositum et causa fuit ridendi.

Vespera in Theatro Marciano dantur et *Stultifera Navis* et *Mostellariola*.

In *Stultifera Navi*, quae fabula numero ac varietate histrionum pollet, initiorum sacrorum celebratio quasi adumbratur, haud dissimiliter atque in Mozartiana *Tibia Magica*: inducitur Joannes, “juvenis candidus, certisque rationibus perfusus”, qui, sponsa relicta, pietatis ergo in monasterium primum, tum in coenobium se confert, sed in utroque peccata capitalia regnare animadvertit; dein daemonibus exagitatus ac varia expertus pericula, Maria Virgine hortante Abbatiam Thelema condit, in qua “vivet quicumque velit et faciet quodcumque libebit”.

In *Mostellariola*, secus atque in *Mostellaria* Plauti, inducitur vera Larva, quae domum Vicetiae sitam infestat; duo emptores et pararia, quae illis domum monstrat ac laudat, e cellula subtegulanea evadere prohibentur a Larva, quae se Caesarem fuisse ait, donec agnoscatur proprium ejus nomen. Fabula non est acta, sed recitata de scripto a quattuor histrionibus, quibus clavicen ex tempore succinit, dum multifariae imagines in album linteum proiciuntur; inter scaenas embolii instar saltat ad numeros mimus.

Nonis Augustis, qui dies est Veneris, Augusti m. V

Sub peristylia porticu ad Divi Laurentii mane Josephus Marcellino iterum Aeneae Silvii Piccolominei *Chrysim* explanat; deinde Maria Aloisia Aguilar de locis e Plauti Comoediis excerptis disserit. Antonius Haaker tertius de Erasmi Colloquiis argute refert.

In theatro Marciano *Vindices* et *Fata Romae te vocant* vespere dantur.

In *Vindicibus* tragoedus Willhelmi Hastiquati vestigia premere videtur: inducitur enim Titus Andronicus, qui devictis Gothis, Romam redit, ubi in novi principis Saturnini aula, conjurationes, prodiones, invidiae, discidia, caedes: primas enim agere videntur non homines, sed Ultio, Odium, Injuria, Crudelitas, daemonum taeterrimi, quorum instictu Aronnes, Titi antagonista, dolos nectit et parat, Titus adigitur ad insaniam, Titi filius patrem imitatur. Histriones, ductu Herimanni Malaspina doctissimi eorum praeceptoris, suo

quisque pollut genere dicendi; nam hujus personae sermo Senecam tragoedum, illius Senecam philosophum, aliorum Ovidium aut Lucanum vel Vergilium referre videntur.

Fabulae, cui index *Fata Romae te vocant*, complures histriones vivacissimi intersunt, quorum primas agit Caecilius, plebeius, philosophus neoplatonicus, qui Marciam, Commodi imperatoris simulque cubicularii Eclecti amasiam, uxorem ducere cupit. Commodus iratus Caecilium Marciamque mortis damnandos esse censet. At res mortalium a Daemone reguntur, quae omnia miscet et evertit.

A.d. VIII Idus Augustas, qui dies est Saturni, Augusti m. VI

Mane ad Sancti Laurenti scholas audimus Josephi Marcellini de Vetula Acheruntica et Antonii Haaker de Erasmi Colloquiis.

Post meridiem omnes Villam Valmaranianam ad Nanos, ut ajunt, prope Vicetiam sitam petimus. Primum interiora villae invisimus, omni instructa supellectile, quia adhuc ibi habitant domini, parietesque et cameras admiramur, mirifice udo illita a Joanne Baptista Tiepolo ejusque filio Joanne Dominico; tum in viridario deambulamus nosque conferimus ad villae deversoriolum, ubi Valmaraniorum hospites excipi solebant, sub cujus ampla porticu concentus musicus mox dabitur.

Sed operae pretium esse puto referre cur a Nanis nuncupetur villa.

Revera supra murum quo viridarium a via publica dirimitur, pumilionum statuae sunt statis intervallis ornatus causa collocatae, ut mos fuit saeculis XVII ed XVIII; tamen eorum origo narratione fabulosa hunc in modum explicatur: natam esse quondam e gente Valmarania puellam tam brevi corporatura, ut parentes ei tantum nanos famulari posse voluerint, ne eam, naturae suae consciam, gracilitudinis puderet; sed quum puella pulchrum procerumque adolescentem forte aspexisset, qui in villae hortum imprudens penetrarat, animadvertentem quanto statura inferior esset ipsa, omnique spe nubendi destitutam, sibi mortem conscivisse; tum omnes nanos, qui ei famulabantur, prae dolore in lapideas statuas mutatos esse.

At illuc redeamus unde sumus digressi.

Nuntiatur concentus musicus. Interea caelum, quod praeter praesagia sudum hucusque esse videbatur, improvise atris collectis nubibus eripitur, Jovisque pluvii murmura minacia inter fulgura audiuntur. Tamen, nihil deterriti, musici acroama incipiunt. Forte fortuna fit ut porticu tegantur ipsi cum instrumentis suis, quae grave detrimentum propter pluviam acciperent.

Oppido quam mirum acroama dederunt Alexander Feye Belga fidibus et Ashot Khachatourian Armenus clavibus! *At cadunt resoluti nubibus imbres*³², venti consurgunt, fulguribus impletur caelum, tonitrua crebrescentia modis musicis fere ad numerum succinentes, tamquam tympana tussa in symphonia, circumcirca audiuntur. Tamen Belga et Armenus pergunt: Francisci Schubert cantico canticum Josephi Tartini succedit, Emmanuelis De Falla saltationi lusus Frederici Chopin, Georgii Von Albrecht lusui canticum Friderici Geminiani, cui cantico turbo ceteris violentior, paginas evellens, spectatorum umbracula quassans, vestes madefaciens et capita, finem praemature imposuit. Diffugiunt omnes, quasi oves in prato, dum furit procella.

Res autem non in deterius accepta, immo vero quasi per antiphrasin nutu tam saevo felicem conventui exitum ominari visus est Juppiter, Musarum parens. Dum igitur urceatim pluit, in amplam bibliothecam deversoriolo conjunctam confugimus, delectos arbitros exspectantes: ibidem enim praemia iis tribuentur qui e certamine praeclare evasisse sunt habiti.

Oportet hic brevi explanem quibus rationibus sint usi arbitri ut, quantum quidem fieri potuit, aequanimum esset iudicium.

Unicuique illorum traditus est abacus complures in quadras divisus: superius, suis quaeque inclusae quadris, indicabantur nomitatim fabulae existimandae: *Medea, Przmislaus I rex Poloniae, Stultifera Navis, Mostellariola, Vindices, Fata Romana a te pendent*; in quadris a laeva manu depictis significabantur alium sub alio elementa quibus ludi scaenici componi solent: actio, apparatus, cantus, spectaculum, inventio, latinitas, fabula, histrio primarum, histrio secundarum.

³²Verg. Georg. I, 333.

Unus quisque iudex puncta attribuit per vices non fabulae ipsi per se, sed singulis illius elementis; tum punctorum, quae inter singulum et dena eligere potest, prout minoris aut pluris aestimat elementum, rationem mediam computat, quae quasi iudicii sui compendium faciat. Denique omnium iudicum punctis collatis, eorumque ratione media ducta, pro numero punctorum ordinantur fabulae et ea aureo praemio digna habetur, quae plurima tulit puncta.

Maria Berica Garzia roganti mihi quid in universum de ratione iudicii sentiret: "Omnes nempe fabulae – inquit - magna dignae laude visae sunt, sed tam exiguum fuit inter eas discrimen, ut sine abaci rationibus non facile quo quaeque praemio donanda esset, discerneres; praeterea, ne locus esset reprehensioni, nonnulli arbitri, qui erant cum competitoribus amicitia conjuncti, iudicio sese abstinuerunt: itaque Alexander Feye de *Stultifera Navi*, quae e Schola Nova sua prodierat, nullam sententiam tulit, ac quidem Maria Pia Canal itemque ego ipsa *Mostellariolam* non existimavimus, cujus interprete Latino familiariter, quemadmodum probe nosti, uti solemus".

His igitur iudicii normis atque officii conscientia freti, sic censuerunt delecti Certaminis arbitri:

- *Coronam Auream* Thelemis dandam esse pro *Stultifera Navi*, quae fabula ceteris praestare est habita;
- *Coronam Argenteam* Societati Inimicorum Amicorumque Titi, pro *Vindicibus*, quae fabula proxime primae accedere est existimata;
- *Coronam Aeneam* gregi cui nomen Katolofhyromai pro *Medea*, quae dignitate tertia sequitur;
- *Calamum Aureum* Orchestrae Symphonicae Mediolanensi pro emendata Latinitate, qua *Mostellariola* scripta est;
- *Personam Auream* Marinae Garanin, ut histriae optima, quippe quae laudabiliter primas egerit in *Medea*;
- *Pilum Aureum* Annae Maciejewska, ut histriae singulari, quae partem egit in fabula de Przemislao Rege.

In bibliotheca inquam, garritionibus, quibus resonabat, improvise frena stringuntur ac silentium fieri iubetur: adsunt Iudices! Conticemus omnes suspensoque animo ab ore Aloisiae Aguilar praesidis pendemus. Tanto

demum plausu, tanta praesentium approbatione excipitur iudicium, ab ipsa eleganter suaviterque renuntiatum, ut lacunaria parietesque diu concuti videantur; tum mutua data gratulatione inter eos qui in certamen descenderant, regredimur in villam, ubi epulum lautum magnificentumque nomine Scholae Humanisticae praebetur.

Mensas candidis tectas mantelibus atque omne genus dapibus onustas videres, quibus saliva cuique movetur, neque desiderantur variae potiones ac vina optimae notae, e Venetis uvis expressa. Fit concursus, patinae implentur, exundant calices, omnia laete buccis cachinnis sermonibus consonant.

Inter pocula Thomas Carduelis³³, qui operam dederat fabulae de Przemislao rege, una cum quattuor Medae, Mostellariolae, Stultiferae Navis gregalibus³⁴ junctis viribus, nonnullos versus in laudem Iosephi et Pauli, numerose recitat, quibus Thalia musa inducitur admonens quomodo Latinitati nova vita reddi possit. Placet gratam Musae hortationem hic referre:

Vires vestras coniungite!

Spectate, quid ab eis siet Patavii

Scholae patratum doctis Humanisticae:

Novis feratur ops, ut in Polonia,

sermonis assertoribus Quiritium.

Media nocte, postquam plerique nostrum large et affatim Baccho litarunt, dum luna crescens nivea luce colles Bericos ac rura villae circumjacentia collustrat, dimittitur coetus atque in deversorium redimus, alii curribus vecti, alii pedibus ambulantes.

Postridie ejus diei

³³Thomas von Stieglitz, Suebus natione, civitate Monachesis, Valahfridi Stroh discipulus, Iosephi Ratzinger alumnus, tubicen praeclarus, litterarum praeceptor antiquarum, prosodiae Latinae studiosissime peritus.

³⁴Stephanus Vittori, Marina Garanin, Petrus Bono, J.C. Rossi.

Die Solis, qui septimus Augusti mensis fuit, domum quisque suam redimus,
animo recolentes quam belle amicitiae concilientur Latinitate.

Datum Mediolani Kal. Nov. a. MMXXII